



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 47. Sessio III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. *clæsiastici, earumque partium felicem refor-*
A.C. 1429. *mationem, quæ quatuor capita fusori ser-*
mone prosecutus est.

§. XLVI.

Sessio II.

Ibid. **S**essio secunda ad duodecimam Septembris indicta in proximam Sabbati diem, & ab hac in decimam septimam ejusdem Mensis, quæ in feriam secundam incidebat, dilata est; eoquod Legatus febri correptus interesse haud posset. Hac autem die Cardinalis, quamvis viribus fractus, morboque pressus, Sessionem habuit, in qua plures selegit viros, tam doctrina, quam prudentia, rerumque experientia longe probatissimos, ut nonnullos articulos pro reformatione Cleri condarent, quibus tam morum disciplina, quam politici Regiminis ordo perficeretur, & hæc fuit summa eorum, quæ in hac Sessione gesta fuere.

§. XLVII.

Sessio III.

Morbo Legati nihil remittente, **Sessio III.** ad diem undecimam Octobris, quæ erat feria tertia, differebatur; cum vero adversa valetudine præpeditus, nec hac die ad Cathedram Ecclesiam, ubi primæ

primæ duæ Sessiones celebratæ fuerant, Sæcul. XV.
accedere valeret, in Palatio Episcopali,
quod incolebat, Sessio habita est. Igitur
solemnibus de more peractis Legatus in
hunc modum peroravit: Nullus ignorat,
quæ integro legationis meæ biennio pro
unione Ecclesiæ gesserim, atque exantla-
verim, quanto studio, quantisve pericu-
lis Arragoniæ Regis animum tandem ad
saniora reduxerim, quem ut ad extin-
quendum schisma, quod tum solerter
foverat, manum admoveret, inito pacto
induxi, vigore cuius, si Paniscolenses ad
obsequium reduceret, centum quinqua-
ginta millia florenorum, eidem pendi pol-
licitus sum, cumque Alfonfus reapse
operi insudaverit, ejusque studio Panisco-
lenses non modo cesserint, sed etiam ad
gremium Ecclesiæ, & Martini Papæ obe-
dientiam redierint, nil aliud reliquum est,
quam ut vicissim promissa solvatur pecu-
niarum summa. Cum vero ob prægran-
des expensas, quas Papa in Bello contra
Bohemos, aliasque plures expeditiones
ferre compellebatur, illius ærarium ex-
haustum sit, ita spero, quod Prælati, &
reliqua Synodi membra opibus suis in
hunc finem liberaliter succurrere non gra-
varentur. *Nam licet, ut asseruit Legatus,*
ipfus haberem Bullam a Papa in effectu
continentem, quod pro dictis centum quinqua-
ginta millibus florenorum possem super Clero
Hift. Eccles. Tom. XXVI. O o impo-

A.C. 1429.

Sæcul. XV.
A.C. 1429.

*imponere subsidium, attamen confido de
Prælatis & de eorum bona affectione, quod
facerent sponte ea, quæ compulsi facturi
essent . . . Grates ab universo cœtu per-
solutæ sunt Legato, eoquod tanta comi-
tate in eos usus esset, petitumque, ut eis
usque ad proximam sessionem de facta
propositione deliberandi spatum conce-
deret.*

Sessionem hanc sequenti Sabbato
celebrare intendebant, sed morbo Legati
vehementius ingravescente, ad quintam
Novembris differebant. Pridie ejus diei
Patres sexaginta millia florenorum obtu-
lerunt, contestantes, integrum, quam Le-
gatus ab eis petiisset summam, vires æ-
rarii sui excedere, utpote quod bello,
peste, aliisque tam publicis, quam priva-
tis calamitatibus exhaustum esset. His
subjungebant, se, ut Legato pro præstitis
salubriter obsequiis gratum exhiberent
animum, ejusque incommoda, quæ susti-
nuisset, ac sumptus, quos in Legationis
suæ munere fecisset, quodammodo com-
pensarent, eidem viginti millia florenorum
aureorum Arragonensium dono mere gra-
tuito datus. Utrumque Legatus ra-
tum acceptumque habuit.

§. XLVII.